

## §. I.



DEO hominem debere obedientiam, quilibet ultro concesserit, ac strenue ipse inculcauerit, qui dei existentiam minime negans, hominis a summo numine dependentiam, et huius in illum dominium, nec non ius summum leges praescribendi, tanquam rationem, omnibus satis perspectam, merito secum perpenderit; de quibus in moralistarum scriptis copiosius exponi solet. Dependens igitur hominis a deo est ratio nostrae obedientiae, at obligationem tantum ostendit non modum, quo obedire domino supremo tenemur, num libere scilicet an coacte, num cum inuestigatione motiuorum ac perfectionum diuinarum, an sine vllius vltioris rationis consideratione, seu, vti magna cum reuerentia quidam se locutos esse autumant, caeca mente id peragendum sit? Quod dubium certitudinis obtinendae causa tollere in praesentia nostri erit negotii, ne forsan alicuius neglectus et violatae maiestatis diuinae vlli infimulemur.

## §. II.

Obedientia est promptitudo immo habitus mandata alterius peragendi, et caeca nobis illa dicitur, quatenus ad nullam plane respicimus mandati rationem, num aliqua, vel saltem generalis, et qualis ratio adfit, vnde intelligere queamus, cur hoc vel illud mandatum peragendum vel omittendum sit, vti caecus is proprie appellatur, qui circumspicere nequit, num quaedam et qualia ipsum circumstent, sicque in continuo versatur metu ac dubio, num boni aut mali quid sibi ex improviso obueneat.

## §. III.

Cuiuslibet rei vsus dei circa illam finis est, vti theologia id comprobat, et nexus veritatum perspiciendi facultatis, seu humanae rationis dari vsum, nullo laborat dubio, quare non frustra, sed eum in finem illam diuinitus homini concessam esse, vt ea vtatur, nemo dubitauerit, nisi qui in sapientiam diuinam iniurius, sibi que rem aliquam absque huius vsu a deo elocatam esse asseuerare velit.

## §. IIII.

Deo quoniam obedire tenemur, (§. I.) finibus vt eiusdem